Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1247

Quelle:
Copyright:

Lelandus, *Baleus*, *Pitſeus*, *Labbeus*, *Petr. Lucius*, *Whartonus*, *Fabricius* et dictus *Tannerus*, qui Operum ejus Catalogum texunt, *Compendium* noſtrum *Venetiis* typis procuſum eſſe adfirmant; nemo tamen annum aut formam prodit.

II. *fol.* 119. Propoſitiones XXIV. *Gerardi Groet* ſive *Magni Daventrienſis*, qui abdicato Canonicatu *Ultrajectino* et *Aquisgranenſi* Clericorum *Vitae Communis* in patria inſtitutor obiit 1384. contra Clericos Concubinarios. Initium: *Quoniam circa materiam notoriorum fornicatorum. ego Magiſter Gerhardus groet dyaconus dixi et ſcripſi aliqua. que et dico et dicturus ſum et volo quod pateant manifeſte. ne qui calumpniancium. et vias domini rectas odiencium qui alioquin non deſunt, me quecunque aliter dixiſſe aut ſcripſiſſe quam dixi aut dicturus ſum mendaciter confingant. Ideo cupio ea vniuerſis palam fieri et omnes ſcire que in hac materia intendo defendere.* Et ſubjunctis pluribus adſeverationibus et Adverſariorum provocationibus: *Primum dictum meum eſt. quod quicunque presbiteri ſuſpenſi, excommunicati, interdicti, depoſiti ac degradati vel ſi ſciſmatici et heretici fuerint, dummodo credant et intendant ſacramentum conficere ac conſecrare, et dummodo materiam et formam debitam eccleſie obſeruent, vera et indubitata et illibata dant conferunt et conficiunt ſacramenta* &c. Propoſitiones contra *Fornicatores Clericos* primum ab *undecima* incipiunt, quae ſic ſonat: *Inter omnes miniſtros malos maxime in bijs cauendi ſunt iuxta premiſſa fornicatores notorii, ſeu ſint notorii per propriam in iudicio confeſſionem, ſeu per ſententiam iudicis* &c. Brevis Epilogus ita finit: *Scriptum quoddam de bijs pro parte confectum conſcribam perfectius, vt omnes ſimiliter videre poſſint ramos cum radicibus.* Scripto hoc illud deſignari putem, quod in variis Bibliothecis exiſtens poſt alios *Belgii* Bibliographos memorat *Foppenius* P. I. p. 355. titulo *De Focariis*, quo nomine Clericorum Ancillas ſive Coquas olim veniſſe, multis exemplis docet *Ducangius* in *Gloſſar.* Noſtrarum vero *Propoſitionum*, quod ſciam, nemo meminit. Itaque ineditas cenſeo, et ad *Foppenii* votum *l. cit.* edendas offero. Crabrones ſibi utroque hoc Scripto *Gerardum* excitaſſe, liquet ex *Epiſtola ad Epiſcopum Trajectenſem pro Magiſtro Gerardo Groot, quando erat ipſi interdictum, ne publice praedicaret.* Extat ea ad calcem *Vitae* ipſius a *Thoma de Kempis* conſcripta inter hujus *Opera* edit. *Colon.* 1728. P. III. p. 31. 4. Atque in ea expreſſe dicitur: *Verumtamen eidem Gerardo procurantibus, ut praeſumitur, Clericis et Presbyteris* focarias *habentibus, per veſtras literas ſine cauſa vel cauſæ cognitione exercitium prædicationis indirecte interdictum eſt. — Inde exultant inimici Eccleſiæ Clerici* focariſtæ